



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Rosa In Hieme

Mertz, Martin

Antverpiæ, 1627

Capvt II. De educatione Pueri, & applicatione ad studia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42750

28 VITA WILHELMI ROTHENSIS
ad tam altos sanctitatis gradus viam ster-
nere meruisset; ex eo namque æternum si-
bi nomen & encomium comparasset. Pa-
rentes eius, huius oppidi ciues, non tam ge-
neris claritate & imaginum splendore con-
spicui, quæ mira animi simplicitate ac vi-
tæ integritate plurimùm commendati,
panni mercaturam & negotiationem exer-
cebant; inter medios sæculi & curarum
fluctus nihiloseciùs antiqua fidei Catho-
licæ veritate, & vera Christianæ disciplinæ
religione ac probitate, nihil antiquius ha-
bebant: quibus inter alias hæc etiam ad-
miranda proles diuino munere obtigit,
digni sane qui eam susciperent, non tam
diuitiarum quæ tantarum virtutum he-
redem; & talem quidem, qui immortalibus
hisco thesauris longè adhuc maiores, dex-
terâ Excelsi tactus & subleuatus, proprio
etiam studio exacuatus, additurus esset,
Parentes suos in omni pietatis genere mul-
tis parafangis post se relinquens.

C A P V T I I.

*De educatione Pueri, & applicatione
ad studia.*

S O L L I C I T I ac pij Parentes, graui qua-
dam & ad pietatem omnem facili ac
pro-

procliui indole in VVILHELMO suo
animaduersa , seriam eius debitè & reli-
giosè educandi curam in omnibus age-
bant ; & quām primūm per ætatem aptus
studijs literarum fieri cœpit , ne ager tantæ
spei per otium , negligentiam ac puerilem
licentiam siluesceret , & in spinas tribulos-
que inscitiæ & malitiæ abiret , quod facile
fieri in tam tenero flore , exemplis heu ni-
miūm edocti videbant , bonis literis im-
buendum in scholas eum abdere inpri-
mis curæ habebant : sed contagiosa pestis
lue , quæ tum passim grassabatur , præpro-
perè abrepti , orphanum filiolum relique-
runt , non item pupillorum tutor ac pau-
perum pater Deus : etenim à propinquis
Memmingam , ciuitatem alioqui hæreti-
cam , sed multis Catholicis & Religioso-
rum etiam cœtibus habitatam , missus , in
R.P. Georgij Harer , Ordinis S.Spiritus ad
D.Virginem Parochi , conuictum certâ pe-
cuniâ applicitus fuit . Hic bonus puer in ci-
uitate & iuuentute non nisi ad luxum ac
omnē nequitiam instructa adeò se proba-
uit , vt coœuorum consortia tamquam pe-
stem abominaretur & declinaret ; non otio ,
iuisbus , aliisque puerorum næuis oblecta-
etus , sed iam tum velut alto Dei spiritu in
domus solitudinem ductus , vel literis vel
preci-

30 VITA WILHELMI ROTHENSIS
precibus aliisque id generis cœlestibus exer-
citiis tempus terere, & animum impēdere,
laudabile duxit, suaue & iucundum exper-
tus est. Quo nomine eum plurimū commendari & extolli audiui à Sororibus
Memminganis & earum Praefecta, ad quas
Innocens frequenter ventitabat, cum ijs
de rebus sacris & cœlestibus, quibus auide
inhiabat, ardenter & inflammato pectore
collocutus; eaque de re maximè illis gratus
fuit, ut qui feroce incensus, omnia earum
pia exercitia, ad dies solemnes & festiuos
cum magno fructu spiritus transigendos,
supra ætatis illius fidem fortiter arriperet
ac constanter retineret.

C A P V T I I I.

Promotio eius in Monasterium Roth.

S EDEBAT tunc ad clauum Abbatialem
in hoc S. Verenæ Cœnobio Roth, ma-
gni vir nominis & laudis MARTINVS ER-
MAN, Suevicæ Provinciæ visitandæ non si-
ne magno Ordinis decore & emolumento
Præpositus: qui dilaceratam pænè Nor-
bertinæ familiæ disciplinam, præcipue suo
in Cœnobia, quantum temporis iniuria &
hominum improbitas permittebant, forti
animo omnia aggressus, resarcire omni
modo